Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 59
Quelle:
Copyright:

rum (nempe in Officio Chori) *In ſeptuageſima legitur geneſis In ſexageſima exodus In quinquageſima Leuiticus In quadrageſima Dominica prima liber Numeri In dominica ſecunda liber deutronomij Dominica tercia liber Joſue Dominica quarta liber Judicum In paſſione et in palmis Jeremias.* Quae legendi ratio ab uſu hodierno diſcedit. Ad calcem *Esdrae* tamen fatetur Librarius: *Explicit Esdras tercio. Fol. 256. Parabolae Salomonis* Indicem Contentorum in ſingulis Capitibus praeferunt. Ad *Machabaeorum* calcem *fol.* 445. rejecta eſt gemina in eos *Rabani Mauri* Praefatio ad *Ludovicum* videlicet *Regem*, et *Geroldum Palatii Archidiaconum.* A *fol.* 446. p. 2. ſequitur a *Geneſi* usque ad *Iſaiam* Expoſitio Vocum difficiliorum non raro inepta, v. g. *Coturnix eſt auis regia. Ortogamitra* (Ὀρτυγομήτρα) *eſt eadem auis orban;* ubi pro *Orban* ſive *Auerhahn* dicendum erat *Wachtelkönig;* Germanus enim eſt interpres noſter, ut multis locis prodit v. g. *Mutire Winſeln, Cortina Umbankch, Virgultum Weydech* &c. Praeterea verſum illum, qui paſſim *Camillo Querno Leonis* X. Archipoetae tribuitur,

In lebete (Cratere) *meo Tethys eſt conjuncta Lyaeo,*

jam hic legas. Expoſitioni huic a *fol.* 454. p. 2. Argumentum XV. Librorum biblicorum ſcilicet a *Geneſi* ad *Eſther* fuſius enarratum ſuccedit.

XLIII.

R. 1028 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 475. f. min. elegan-ter perſcriptus, coloribus diſtinctus et olim Domus Profeſſorum S. J. *Viennae* eſt *Pars I. Bibliorum* vulgatae Interpretationis cum ſolitis *Hieronymi* Prologis. Poſt Librum Nehemiae *Incipit confeſſio Esdre*, quae nihil eſt aliud, quam Excerptum ex apocrypho ejus *Libro* IV. c. 8. a v. 20. ad v. 37. rariſſime in aliis Codicibus Biblicis obvium, et dictione varians ab Editis, quae ad calcem Bibliorum haberi ſolent. Patebit id conferre volenti ex adſcripto hic principio: *Domine, qui habitas in eternum, cuius oculi elati et ſuperiora in aere, cuius thronus ineſtimabilis et claritas incomprehenſibilis, cui aſtant exercitus angelorum cum tremore, quorum ſeruacio in uento et in igne conuertetur, cuius uerbum firmum et dicta perſeuerantia* &c. Hanc *Confeſſionem* excipit *Liber III. Esdrae* hic dictus II. Pſalterium plura παρεγγα habet: 1) *Hieronymi* Prologum in Verſionem ex Hebraeo ad *Sophronium*, qui incipit: *Scio quosdam putare* &c. ut edit. *Vallarſ.* T. IX. *col.* 1153. 2) *Originem Dauid Regis prophecie Pſalmorum in numero C. et quinquaginta*, quae eſt excerpta e ſpuria *Hier.* ad *Damaſum* Epiſtola edit. *cit.* T. XI. *col.* 278. et incipit: *Dauid filius yeſſe cum eſſet in regno ſuo* &c.